

CONCILIIUM BRACARENSE III.

Ann. Chr. 572.

Hic præfedit Martinus ille Bracarenfis Metropolitanus, cujus extat canonum collectio, præfertim ex Græcis Synodis, quos ipse in Latinum transtulit, in duasque distribuit classes: unam quæ ad Clericos, alteram quæ ad laicos spectat. Hunc aliqui origine Græcum tradunt, alii Pannonium.

Can. V. *Hoc unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicerit Ecclesiam aut Basilicam, nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartula confirmatum accipiat. Nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine sustentatione eorum, qui ibidem seruituri sunt tanquam domus privata ita consecretur Ecclesia.*

Concilium Toletanum III. can. 15. ad omnem novæ Ecclesiæ dedicationem prærequirit ejusdem notationem ab Episcopo præfinitendam. Paria faciunt c. nemo, de consecr. dist. 1. & c. de Monachis, de Præben.

CONCILIIUM ANTISIODORENSE;

Ann. Chr. circiter ut sentit Simondus 578.

Concilium istud Antisiodori Diocesanum tantummodo fuit, cui solus interfuit Episcopus Anacharius, qui Conciliis Parisiensis IV. & Matisconensis II. legitur subscripsisse. Antisiodorum urbs in Burgundionibus, vulgo dicta Auxerre, Episcopalis, Metropolitanæ Senonensis subjecta. Concilium istud peregrunt Episcopus unus, Abbatem septem, Presbyteri quatuor, & triginta Diaconi, qui vice absentium Presbyterorum subscriperunt tres.

Can. X. *Non licet super uno Altario in una die duas Missas dicere. Nec Altario ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.*

Can. XII. *Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum involvi. Concilium Carthaginense III. can. 6. ita decernit. Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; dictum est enim a Domino: Accipite & edite; cada vera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat; cum Eucharistiam mortuis non dari ant maduerit.*

Vide inter Dissertationes nostras illam, quæ est de veteribus ritibus Eucharistiæ: quæ est 6. Notit. Eccles. Sæculi 2.

Can. XVIII. *Non licet absque Pascha solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt; quod si quis in alio pago contumacia faciente post interdictum hos infantes suos ad baptismum detulerit in Ecclesiis nostras, non recipiantur usque ad satisfactionem; & quicumque Presbyter ipsos extra nostrum permissum recipere presumpserit, tribus mensibus a communione Ecclesiæ sequestratus sit.*

Can. XXII. *Non licet relicta Presbyteri, Diaconi nec Subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere.*

Idem statuitur in Conciliis Bracarenfi tertio, can. 29. & Matisconensi secundo, can. 6.

Idem quoque decernitur Concilii Toletani I. can. 18. sub pena interdictæ communionis adusque vitæ finem. Simile quid habetur apud Martinum Bracarensem c. 29. & in Concilio Matisconensi secundo can. 16. Credibile est uxoratos non aliter admissos ad sacrum Clerum fuisse, nisi postquam eorum uxores voto se adstrinxerant perpetuæ continentiæ; tamen si contingeret mariti prædecessus.

2. Can. XXXVI. *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere. Et Can. 24. Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suam habeat. Quod si qua non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.*

Hæc pertinet, quod admonet Augustinus serm. 142. de temp. his verbis: *Omnes viri quando communicare desiderant, lavent manus; & omnes mulieres nuda exhibeant linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.* Cyrillus

Jerusalemitanus in Catech. Mystag. 5. *Simifram* (ait) *veluti sedem quandam subjiciens dextera, quæ tantum Regem susceperat est, & concava manu suscipiat Corpus Christi.* Et Synodus Quinifexta can. 101. nullatenus permittit communicantes Eucharistiam vasculo excipere, sed folis manibus in Crucis formam conformatis.

CONCILIIUM MATISCONENSE I.

Ann. Chr. 581.

Matiscona oppidum est Eduorum, anni Arari adjacens, sedem habet Episcopalem Lugdunensi Metropoli subditam. Hoc loco anno Domini 581. initum est Concilium Pelagio secundo Pontifice, Guntranno Rege indicente, ut habet præfatio, uno ex quatuor Lotharii liberis, qui regnum paternum in totidem partes partiti fuerant. Meminit hujus Concilii Ado, sanctorumque Præfatum, qui ei interfuerunt, Prisci Lugdunensis, Artemii Senonensis, Remigii Bituricensis, & Siagrii Eduensis, quamquam aliqui Codices non Remigium, sed Remadium Ecclesiæ referunt Episcopum in subscriptionibus; verum ut præclare observat Simondus eruditissimus Conciliorum Galliarum collector & illustrator, duo hæc nomina cognata sunt, unumque atque eadem promiscue attributa, adeo ut ipse quoque Remigius Remensis legatur interdum apud veteres Remedium appellatur. Idemque Ado in Chronico scribit, fuisse hic edita viginti capitula, ex his tamen duo quædam verosimile est in unum coaluisse, jam enim censentur tantum decem & novem.

Can. I. *Definitum est, ut Episcopi vel Presbyteri atque Diaconi ita sanctæ conscientia luce resplendant, ut effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac testimonium in se Divinum implere contendant, quo Dominus ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & magnificent Patrem vestrum, qui in calis est. Igitur auctoritate Canonica asserimus, qui in ævum constitutione sancimus, ut fugiatur ab his extraneorum mulierum culpanda libertas: & tantum cum avia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas tulerit, habent.*

Centes & amplius diversis in Conciliis & Pontificum scriptis, repetita hæc constitutio. Vide superius observata in Nicæno can. 3.

Can. III. *Ut nulla mulier in cubiculum Episcopi absque duobus Presbyteris, aut certe Diaconis, ingredi permittatur.*

2. Can. IV. *Ut qui oblationes fidelium defunctorum, que Ecclesiis conferuntur, retinent, veluti retentatores bonorum Ecclesiæ, aut egentium necatores, ab Ecclesiæ liminibus arceantur.*

His asipulatur Carthaginensis Concilii quarti can. 95. & Vasensis can. 4. & Arelat. Concilii secundi can. 47. & c. Qui oblationes, 12. q. 2. & Lugdunensis Concilii secundi can. 2.

Can. V. *Ut nullus Clericus sagum, aut vestimenta, vel calceamenta secularia, nisi que religionem deceant, induere presumat. Quod si post hanc definitionem Clericus cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a seniore ita coarceatur, ut triginta dierum inclusione detentus aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentetur.*

Clerici arma sumpsisse convicti Concilio Toletano quarto can. 44. jubentur gradu deponi & in Monasterium ad penitentiam amandari. Depositionis etiam pena sancitur in Clericum qui arma sumpsit, aut armatus inceserit, can. Meldonensis Concilii 37. Plura require apud Gratianum, caus. 23. q. 8.

Can. VI. *Ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non presumat.*

Hæc tamen disciplina non universalis, sed localis est. Vide in Decretalibus tit. de auctor. & usu pallii.

3. Can. VII. *Ut nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui a seculari judicio injuriam patiat, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque iudex cuiuscumque Clericum absque causa criminati, id est homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse presumpserit; quandis Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.*

Videtur

CONCILIIUM MATISCONENSE I. ann. 581.

Videtur in causis graviorum criminum subijcere Clericos secularium Officialium judiciis, eo quod Ecclesiæ corporales penas sceleribus gravioribus condignas non irroget; scelerati vero Clerici dum corporis supplicia evadant, spirituales penas parum reformidant. Nunc usus Gallicanus crimina Clericorum, quæ privilegiata vocantur, (illa vero sunt, quæ directe publicæ seditiones, fabricatio falsæ monetæ, proditio seu perduellionis reatus, aliaque id genus) cognitioni Magistratum Regiorum attribuit. Cetera vero Clericorum delicta, quæ communia dici solent, in quibus comprehenduntur privatum homicidium, furtum, maleficio, iudicio Ecclesiastico reservantur: nisi Ecclesiastico iudicio visum fuerit reum convictum, & gradu Clericali dejectum, seculari tradere potestati, rogando tamen, ut mitius cum reo agatur.

Can. VIII. *Ut nullus Clericus ad iudicem secularium quemcumque alium fratrem de Clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque modo presumat: sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, aut Archidiaconorum presentia finiatur. Quod si quicumque Clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictibus accipiat: si certe honoratior, triginta dierum conclusionem multetur.*

Can. XIV. *Ut Judæis a cœna Domini usque ad primum Pascha, secundum editum bonæ recordationis Domini Childberti Regis, per plateas aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur. Tertium Concilium Aurelianense sub Childberto Rege habitum sic decernit de Judæis, can. 30. Quia Deo propitio sub Catholicorum Regum dominatione constitimus, Judæi a die cœna Domini usque in secundam Sabbathi in Pascha, hoc est ipso quadragesimo, procedere inter Christianos, neque Catholicis populis se ullo loco, vel quocumque occasione miscere presumant.*

Can. XV. *Ut nullus Christianus Judæorum convivio participare presumat; quod si facere quicumque, quod nefas est dici, Clericus aut secularis presumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum, quisquis eorum impietibus fuerit inquinatus.*

Can. XVII. *Si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium vel perjurium attraxisse, aut quocumque corruptionis sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet; hi vero qui in perjurio consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi, & secundum legem infamia notabuntur. Habetur c. si quis, convictus, 22. q. 5.*

CONCILIIUM MATISCONENSE II.

Ann. Chr. 585.

Idem qui priori Matisconensi Synodo præfuerat Priscus Lugdunensis Episcopus, huic quoque secundæ præfuit, eodem regnante Guntranno, & Clavum Romanæ Ecclesiæ regente Pelagio Papa secundo, anno vero reparatæ salutis 585.

Can. 6. *Instaurat Concilii Africani can. 8. Ut Sacramenta altaris non nisi a jejuniis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Cui & hæc adjuncti idem Matisconensis can. 6. Quocumque reliquæ sacrificiorum post peractam Missam in sacratio superederint; quarta vel sexta Feria innocentes ab illo, cujus interest, in Ecclesiâ adducantur, & indicto eis jejuniis, eisdem reliquiis conspersas vino percipiant. Vide insigne hujus praxis exemplum præclaro miraculo illustratum apud Evagrium lib. 4. hist. Eccl. cap. 36.*

3. Can. XVI. *Illud quoque relictum nobis visum est disponere, ut que uxor Subdiaconi, vel Exorciste, vel Acolybi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, & in canoniis psellarum Dei tradatur: & ibidem usque ad exitum vitæ sue permaneat.*

Difficile sane fuerit hujus feveritatis & captivitatis erga viduas, saltem minorum Clericorum, probabilem assignare rationem. Simile jam provifum fuerat de Clericorum majorum & sacrationum Ordinum relictis viduis in Synodo Antisiodorensi can. 22. Quod idem vetustiora quoque Concilia fieri prohibent sub gravibus penis. Capitula enim a Martino Bracarenfi Episcopo collecta circa annum Chr. 572. hanc penam viduæ derelictæ nubenti irrogant: *Si qua vidua Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet; tantum ei sacramenta subveniant. Quæ ultia Cabassitii, Notitia Ecclesiastica.*

ma verba obscura sunt, & forsitan depravata. Sed clarior penam hujus criminis enunciat Concilium Toletanum primum anni 400. can. 18. dum ait: *Si qua vidua Episcopi, sive Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet; morienti tantum ei sacramentum subveniat.* Ea sane vox, morienti, ex Toletano isto canone supplenda est in præfato capitulo Bracarenfi. Quæ pena cum sit omnium, quæcumque possit Ecclesiæ atrocioribus criminibus infligere, summa extremaque; inferre inde necesse est, ad ordinationem mariti præcessisse solemne uxoris votum ad perpetuam continentiam adstringens, non modo dum victurus esset maritus, sed etiam post ejusdem ipsius obitum; ut subdueretur spes omnis seu occasio captandæ mortis.

CONCILIIUM TOLETANUM III.

Ann. Chr. 589.

Terna memoria dignissimum istud Concilium est, utpote felicissimis auspiciis convocatum, cum primum se erexit Catholica fides, quæ sub Gothi Regibus Arianis oppressa in Hispaniis ingenuerat, & quam paulo ante Visigothorum Rex Leovigildus atrociter fuerat infectatus, usque adeo, ut primogenitum suum Hermenegildum præstantissimæ indolis adolescentem, ab Arianismo Catholicam ad fidem convertum in vincula conjecerit, & capite abscisso necaverit. At hujus frater minor natu Recaredus, de quo illud convenienter cum summo Poeta dici potest,

— *Uno avulso non deficit alter*

Aureus, & simili frondefcit virga metallo:

fraternæ pietatis se præstitit imitatore. Hic mortuo parente Leovigildo regnum capessivit, simulque religionem orthodoxam non modo professus est, sed etiam quanto potuit studio fovit & propagavit. Eam ob rem ipso regni sui exordio Synodum istam nationalem curavit celebrari Pelagio II. Romæ Pontifice anno a Christo nato 589. & Hispanicæ æræ anno 627. Hoc enim obiter addiscendum, Hispanicam æræ annis 38. anteriorem esse Christiana Epoca, ejusque initium desumi a Consulatu Apii Claudii & Norbani Flacci, quo factam inter triumphos Octavianum, Antonium, & Lepidum Imperii Romani partitionem Senatûs Romæ approbavit. Concilio primus subscripsit Rex Flavius Recaredus: deinde Massona Ecclesiæ Emeritenfis Metropolitanus: tertio loco Euphemius Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus: quarto Leander Hispanicæ Metropolitanus: quinto Migerius Narbonensis Metropolitanus: sexto Pantardus Metropolitanus Ecclesiæ Bracarenfis.

In primis editæ sunt a cunctis Nicæni & Constantinopolitani Symboli, decretorumque Ephesinæ & Chalcedonenfis Synodorum professiones, cumulateque orthodoxæ religioni provifum est, tribus & viginti de fide canonibus. Quorum qui tertio loco est, si profiteatur; *Quicumque Spiritum sanctum non credit, aut non crediderit a Patre & Filio procedere, eumque non dixit coeternum esse Patri & Filio & coequalum; anathema sit.* In recitatione symboli Constantinopolitani hæc quoque enunciantur: *Credimus & in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre & Filio procedentem.* Quod idem factitatum pridem in primo Toletano Concilio fuerat, anno a Christo 400. tempore Anastasii Papæ primi: fidei namque professionem edentes ejus Concilii Patres hæc proclamant: *Spiritum quoque Paracletum esse, qui nec Pater sit ipse, neque Filius, sed a Patre Filioque procedens.* Præterea in primo Bracarenfi Concilio tempore Innocentii Papæ I. inter alios ibi propositos fæcæ fidei articulos Pancratius Episcopus præfidentis dicit: *Credo in Spiritum sanctum procedentem a Patre & Verbo. Reliqui omnes Episcopi respondent similiter: Et nos credimus.* Concilii præterea Toletani quarti anni 633. cui subscribere sexaginta duo Hispaniæ & Galliæ Episcopi, sic definit can. 1. *Spiritum vero sanctum nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur.*

Post stabilitos fidei articulos hujusce tertii Toletani Concilii, Patres sua vertunt studia circa Clericalem disciplinam.

2. Can. VII. *Pro reverentia Dei Sacerdotum id universa sancta constituit Synodus, ut quia solent crebro mensis otiose fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum Divinarum miscetur. Per hoc enim & anime edificantur ad bonum, & fabulæ non necessaria prohibentur.*

Concilii Biturrensis anni 123. c. 18. statuitur a præfidente Legato Apostolico: *Ut omnes Regulares infra*

N

Monaste-